

pit: vel immobilis, ut cum Pater dat Filio, & Filius accipit à Patre modum subsistendi. In neutro actu cernitur potentia passiva, qualis est, quando princeps legato dat munus.

**XXXIII.** *Negat à notitià Dei practica non negatur theoricà. Vide Matth. 7. 23.*

## C A P U T V.

### *De actionibus Dei in genere.*

**I.** *Ab actionibus creaturarum ad actiones Dei iniqua est argumentatio. Nam actiones creaturarum sunt accidentia & motus: actiones Dei sunt actus internus vel externus intellectus & voluntatis, seu sunt mera relatio Dei ad seipsum, vel ad res extra ipsum. Sic v. g. creatio est relatio voluntatis Dei ad res extra ipsum ponendas.*

**II.** *Ex varietate actionum Dei, qua est à posteriori, non rectè colligitur varietas aliqua à priori. Ratio est; quia actiones DEI distinguuntur objectis, non verò re.*

**III.** *Ex qualitate agentis rectè colligitur qualitas actionis & operis, quantum ad characterem causalitatis. Disertè dico quantum ad characterem causalitatis: quia que*